



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

S. Macedonivs Anchoreta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

virginibus, quæ conuenerant, disciplinam religiosam arctissimè coluit, atque per omnium voluptatum fugam, continentiamq; & summam vitæ patientiam, seipsam ad cœlitum vitam propius admouit, quam cū feliciter ad finem vsque profecuta esset, diuinum sanctitatis testimonium post obitū est indepta. Ipso quippe meridie, cum sol terram clarissimè illustraret, crux stellata visa est, quam alius astrorum chorus coronabat, vt videretur esse ipsius sanctæ corona, ob diuturna ieiunia, peruigilia, & virginittatis incorruptam laudem, à Deo missa. Idque inde clarum euasit, quod sacro eius corpusculo humi condito, spectatus ille siderum chorus & corona enauerit. Statum porro & conditionem sanctæ Xenæ, ancillula eius, cum moreretur ab ea narrante accepit, quæ inquam, eius esset patria, quod illustre genus, generisque cognomen. Eusebiam enim dixerant, quo, vt latere posset, tacito se Xenam seu Peregrinam seu hospitam nominarat.

S. MACEDONIUS  
ANCHORETA.

Hic beatus noster Macedonius stadium  
& palæstram virtutum habebat in altis  
monti-

montium verticibus, nec vno in loco, sed nunc in hoc, modo in isto degebat, modo rursus in alium commigrabat, in Phœnicia, Syria, & Sicilia versatus, quod eo consilio factitabat, ut hominum turbas certim ad se confluentium declinaret, annosque quadraginta quinque in hoc genere exercitationis transegit, cum nullam casam, nullam cellam incolet, sed in alta quadam scrobe latitaret. Vbi tamen consenuerat, precibus cessit rogantium, & tuguriolum fixit. Postea alienis domiciliis non suis, annis quinque & viginti utebatur, ita ut æuū in tali palæstra ad septuagesimum propagaret. hordeo & aqua quadraginta annis pascitur. Morbo correptus exiguo panis crustulo cum aqua vitam tolerabat. Hic suspiciendus sanè miraculis cœpit magnus haberi, cū ex hominū corporib⁹ spiritus malos pelleret, omnesque morborum affectus curaret, & inusitata multa designaret. Ad hunc muliercula quædam ex arte cacodæmonis bulimia seu insatiabili edendi aviditate vexata, quam domestici multis sæpe lacrymis deplorarant, adducta fuit, pro qua virum sanctum ij, qui ducebant fœminam, deprecati sunt. Fecit ille suis precibus, ut modum naturæ nunquam amplius excederet.

ret. Fertur prius gallinas triginta vno die  
absumsisse. Postea viri sancti precibus ad  
eam temperantiam redacta est, vt neque  
dimidiam amplius esse posset. Numinis  
ergo sincerus constansque cultor, natus  
amplius annos septuaginta ad Dominum  
è vitâ discessit.

## ANNOTATIO.

PRædicat hunc S. I. Damascenus lib. de imagio-  
num calumniatoribus. Theodoretus hist SS.  
patrum C. XIII. fusè eiusdem vittam describit.  
De quibusdam voracibus diabolishominem sima-  
lantibus vide N. Serarium ad Tob. c. 6. p. 101.

S. SIMEON COGNO- 26. Ian.  
MENTO PRISCVS.

HIC à puero vitam in solitudine reli-  
giosam sectatus in angusto admodum  
antri latibulo degebat, nulloque cibo ho-  
minum cura factò vescebatur, sed sponte  
nascentibus herbis edulibus pascebatur.  
Incessit in eum cupido montis petendi, in  
quo Moyses laruerat, quem ingressus, pro-  
nus septem totos dies absque vllò alimen-  
to in votis & lacrymis traduxit, nec prius  
surrexit, quam cœlesti voce iuberetur sur-  
gere, propositaq; tria poma sumere. Cum  
ergo

ergo